



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput III. De odoratu & odoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

Quia ibidem specialis est structura, qualis toto corpore non observatur, ut patet ex descriptione linguæ superius data. 3. Quia ubi magis abundant huiusmodi papillæ nervaceæ, ut in apice & radice linguæ, citior & acutior est cibi gustus. 4. Quia per huiusmodi papillas redditur ratio, cur in deliquis vino generoso aut spiritofo liquore instillato, revocetur animus: nam dum papillæ penetranti liquore perfunduntur, spiritus in nervis conclusi novo motu à subtilibus liquoris particulis percelluntur, qui motus ad cerebrum usque perductus mentem aliò abductam, aut quodammodo sopitam excitat.

Dicendum 2. Objectum gustus sunt sapes, qui, prout sunt in corpore sapido, juxta RR. nihil aliud sunt, quam corpuscula quædam potissimum falsa, talis configurationis, molis & motus, ut applicata linguæ, ejus papillas modo speciali moveant: juxta Peripateticos verò sunt qualitates absolutæ in corporibus sapis residentes. Patet iterum ex utriusque Philosophiæ principiis; sicq; velis, utramque partem, uti superius dictum est, conciliabis. Interim negari non potest, quin ex salibus potissimum, & dispositione organi repetenda sit gustus sensatio & varietas. 1. Enim fit sensatio vehementior, cum spiritus salini in ore dissolvuntur; debet enim corpus durum in ore subigi, & salivâ dilui, ut possit gustari; nam alioquin salinæ ejus particulæ organum non subibunt, nec consequenter illud afficient. Unde Aristoteles pronuntiavit, saporem nasci ex dissolutione substantiæ siccæ in humido. 2. Si sal omnis ex aliquo corpore educatur, corpus illud remanet prorsus insipidum: econtra admixto sale sapis redduntur cibi. Et constat ex resolutione chymica, nullum esse corpus sapidum, ex quo non varij educantur sales. 3. Requiritur quædam dispositio ex parte organi, quâ fit, ut idem cibus magis aut minus gratus percipiatur, eaque dispositione mutatâ, mutatur etiam gustus. Unde sapius placent senibus cibi, qui olim ipsis junioribus displicebant: hinc etiam placent quandoque cineres, gypsus, carbones ipsis puellis, aut foeminis prægnantibus ex inordinata dispositione organi. 4. Ex variis humoribus salivæ permixtis vitiatur, aut mutatur gustus; sic diffusa bile omnia apparent amara. Et ex his innumeri oriuntur sapes diversi, tum propter innumeram diversitatem mistionum, tum propter incredibilem salium varietatem, tum denique propter multiplicem differentiam texturæ organi gustus, quæque in singulis animalibus diversæ speciei plerumque diversa est, & subinde etiam intra eandem speciem.

C A P U T III.

De odoratu & odoribus.

Dicendum 1. Organum olfactus residet in tenui membrana interiores narium anfractus, seu lamellas osseas & cartilagineas obducente. Patet, tum ab experientia, tum ex dictis de naso & naribus: in eo enim residet organum olfactus, in quo innumeræ nervorum olfactoriorum fibrillæ disperguntur; sed in prædicta membrana tales nervorum fibrillæ disperguntur, quæ halitus odoriferos percipiunt: ergo. Quod ulterius conf. 1. quia lamellæ istæ cartilaginossæ numerosiores sunt in illis animalibus, quæ olfactu magis pollent, ut patet in cane venatico: & universim plures sunt communiter in brutis, quam in homine, quia cum illa careant rationis critirio, voluit ea Sapien-

Sapientissimus naturæ Auctor odoratu pollere sagaciori, ut victum absentem vel abstrusum venarentur facilius. Conf. 2. ex destillationibus, quæ cum for-
re illam tunicam obsident, olfactum penitus obtundunt. Hinc qui rheumate
laborant, vix percipiunt odores: hinc etiam accidit sapius, ut qui subtilio-
ris sunt ingenij, & student intensius, hebetioris sint odoratus ob pituitam,
quæ eorum cerebrum continua agitatione spirituum animalium exoneratur,
& quæ, ut multi volunt, per huiusmodi anfractus ad nasum detruditur.

Dicendum 2. Objectum olfactus sunt odores, qui prout sunt in corpo-
re odore, sunt halitus, jugèque effluvium substantiale corpusculorum potissi-
mum sulphureorum, quæ diversos odores efficiunt, vel propter diversam fi-
guram, molem & motum, vel quia diversis qualitatibus afficiuntur; adeoque
iudico, odorem semper propagari per huiusmodi effluvia, & non per quali-
tatem, quæ per aliquod medium usque ad nares producatur, quamvis per
hoc non negem, illam qualitatem inesse corpusculis. Prob. 1. Quia thus
carboni impositum in partes odoríferas valde minutas resolvitur, & quò us-
que hæc pertingunt, eò usque sentitur odor, qui cum illis sensim evanescit.
Hinc 2. Res odorariæ post longas exhalationes paulatim minuuntur, & mar-
cescunt, ac sensim odorem amittunt. 3. Intelligitur, cur calor, & quæ ju-
vant evaporationem, etiam inserviant ad diffusionem odoris: frigus verò &
quæ evaporationem impediunt, odoris diffusionem etiam impediunt. 4.
Plante vento in unam partem longius fertur odor, & impeditur, ne propage-
tur in partem oppositam, quantumvis vicinam. 5. Magis propagatur sursum,
quàm deorsum, quia corpuscula odorifera sunt plerumque aëre nostro levio-
ra. 6. Ut percipiamus odores, aërem in nasum retrahimus, ut cum illo corpuscula
odorifera hauriamus. Unde Arist. 2. de anima text. 98. observat, odores non
nisi respirando percipi. 7. Corpora trita, aut calefacta magis olent. 8. Cor-
pora odora & spiritosa aperto celo longè citius odorem amittunt, quàm si
probè occludantur. 9. Bombyx & alia huiusmodi, quæ aptiora sunt ad conti-
nenda suis filamentorum tricies corpuscula, etiam magis apta sunt ad conti-
nendos odores. Quæ omnia evincunt, odorem per corpusculorum efflu-
via propagari.

Sicut autem sapes consistunt potissimum in salibus, ita odores consi-
sunt potissimum in corpusculis sulphureis: & sicut res sapida educto sale fiunt
insipida, ita res odora educta illa substantiâ sulphureâ & oleosa fiunt inodo-
ra. Itaque sicut causa generalis saporis dici potest consistere in sale, ita cau-
sa generalis odorum in sulphure. Odores porro sunt suaves aut ingrati juxta
Peripateticos, prout halitus tali aut tali qualitate imbuitur: juxta RR. verò,
prout leviter aut asperè vellicant lamellas illas nervosas, quæ sunt olfactus or-
ganum, uti in tactu evenire videmus; unde fit, ut per ejusmodi vellicationem
ab odoribus profectam provocemur ad sternutationem, ob communicationem
nervorum cum diaphragmate, quod ad motum convulsivum determina-
tur.

Dictis videtur adversari 1. quod ait S. Th. lect. 20. in 2. de An. nem-
pe odorem cadaveris diffundi ad 500. usque milliaria, cum in tantam distan-
tiam à vulturibus sentiatur: incredibile autem est, corpuscula posse ad tan-
tam distantiam pervenire. 2. Canis venaticus post sat longum tempus feræ
odorem, vestigiis ipsius impressum deprehendit; hoc autem non potest per
corpuscula explicari, quæ à vento abriperentur. 3. Modicum quandoque
opobalsamum vestibus inditum longo tempore odorem diffundit; non est au-

tem credibile, quòd modica res tot spiritus contineat. 4. Species vini consecrati odorem propagant, nec tamen continent corpuscula substantialia.

Resp. ad 1. eandem esse difficultatem de qualitate, quæ non videtur ad tantam distantiam produci posse. Dicendum ergo non ab uno sed à multis cadaveribus propagatum fuisse odorem; refertur enim, commissum fuisse in insula prælium, quo magna tum hominum, tum equorum strages facta est, ad quam advolârunt corvi & vultures, in illa insula priùs non conspecti; quare potuerunt ad aliquam partem trans mare vento deferri corpuscula odorifera, quæ potuerunt percipere vultures odoratus exquisitissimi. Sic navigantes ad ortum percipiunt odorem aromatum ex quibusdam insulis ad multa milliaria. Ad 2. dico, halitus odoriferos, cum sint sulphurei & oleosi, tenaciùs adhærere, quàm ut statim possint asportari à ventis, licet tandem cedere debeant. Ad 3. sciendum est, particulas illas esse minutissimas; si enim thuris granum calore dissolutum potest aulam integram ita implere, ut etiam halitus oculis videatur, quid dicendum erit de particulis minimis, quarum quælibet visibilis integros miliones continet; quanquam hujusmodi vestes, si sæpius aëri exponantur, sensim odorem amittant. Ad 4. dicendum est in principiis Peripatericorum, odorem propagari per particulas quantitatis, hæc enim sensim quoque minuitur, præsertim si eidem supponatur ignis, & odor vehementiùs diffundatur: aut alia quadam actione extraordinaria Dei extra subiectum conservari, & propagationem suppleri. An verò sub hujusmodi particulis separatis substat adhuc sanguis Christi, dubium est omnibus solvendum: si enim talis particula censeatur collectio accidentium sufficienter visibilis & talis, ut referat speciem vini, sub qua etiam vinum naturaliter conservari posset, tunc dicendum est, substare sanguinem Christi; negandum econtra, si hoc non censeatur. Plura de hoc mysterio jam dicta sunt Contemp. 2.

C A P U T IV.

De Auditu & Sono.

Dicendum 1. Proprium auditus organum in dilatatis nervi auditorij fibris, seu lamina spirali constitutum videtur. Probatur: illud est proprium auditus organum, in quo disperduntur & ultimò desinunt nervi auditorij, à medullari substantia cerebri descendentes; sed in lamina spirali desinunt ejusmodi nervi, ut patet ex auris anatome superiùs tradita; frustra enim essent tot nervi & meandri post tympanum positi, si auditio perficeretur in tympano, ut censet Honor. Fabri. Deinde tympanum non habet perfectam communicationem cum cerebro. Præterea ut refert Willis de Anim. Brut. c. 14. perforato utriusque auris tympano sensatio persistebat in cane per tres circiter menses, donec externis injuriis sensorij crasis perverteretur. Idem testatur D. du Verney.

Conf. quia sic patet omnium partium usus: auricula enim externa colligit sonum, vel aërem tremulè ac reciprocè agitat, qui per concham subiens ad tympani membranam appellit, eamque exagitat; tympano sic agitato ossicula, quæ illud sustentant, dilatant, ac constringunt, ad varios quoque motus determinantur, ita ut malleus adhaerentem incudem moveat, incus stapedem, stapes pelliculam fenestræ ovalis, quæ pariter per stapedis muscu-